

remotiùs à malleolò internò, ad cavendam articulorum inflammationem, ceu benè notat *Rhodius in analect. ad Septal. cant. medic.*

An vesicantia illis etiam partibus, quibus vene evidentes & majores subjacent, tutò adplicande sint, quaritur? Respondemus, quòd non. Inconveniens est locus, ubi vasa majora conspicua sunt. Cantharides enim effectum intentioni medici contrarium præstare sic possunt. Accidit quidem nuperiùs in viciniâ, ut delicatula uteretur vesicatoriò tali ad nucham positò, quod noctu locum mutavit, & ex sede descendit ad dextrum latus super venas jugulares externas, vesicâmque levem excitavit. Cum autem non adeò diù commoratum sit, noxa etiam nulla ab eò observata fuit, quæ tamen notabilis præsumitur, non quòd cutem venâsque ipsas potuerit aut oportuerit penitùs erodere, quod præstare vesicatorium non valet; sed potiùs, quòd sanguis qualitate cantharidum specificâ per poros cutis insinuatâ, ad motum præternaturalem seu hæmagogum instigari potuerit.

De partibus, quibus adplicari debent, notandum est, ut, antequàm admoveantur vesicantia, caveamus, ne partes oleò quodam illitæ sint, monente *Heurniò de febr. c. 19.* Eapropter corpus diligenter detergendum, ut eò majoris sint efficacix. Benè frictò locò, cutis spiracula laxantur, undè celeriùs eadem vim medicaminis recipit, ex mente *ejusdem meth. ad praxin l. 1.* In Italiâ, referente *Rhodio in anal. cit.* loco priùs raso & acetò scilliticò perfrictò siccatòque per XXIV. horas detinentur adplicata.

Sufficit hîc frictio cum linteolis siccis facta, quam illicò sequitur adplicatio, & deligatio.

Tempus adplicationis desumitur vel à materiæ morbificæ præsentia, à quâ accommodata desumitur adplicatio; vel à *symptomatibus* & signis terrificis, quæ in principio & augmentò morborum apparere solent.

Ipsa etiam *adplicatio* variat pro ratione ingredientium. Lini-
menta illinuntur, unguenta inunguntur, cataplasmata adplicantur,
cerata imponuntur & emplastra affiguntur. Priores modi hodiè non
adeò familiares sunt; acquiescimus potiùs in cerato vel emplastro, o-
mni loco indifferenter adplicabili; hòc tutiùs, jucundiùs atque citiùs
operamur, quàm prioribus.